



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Triplex Statvs; Ecclesiasticvs, Religiosus, & Sæcularis

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 5. De voto Obedientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80707](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80707)

Seet. II. de Profes. Religiosa Dubia. 183

moris meditatio; & consideratio ignis æterni. O quam stultum, pro breui volupstatē, æterna, supplicia sustinere?



CAPVT V.

De voto Obedientia.

¹⁰ **Ex Obedientia voto Religiosus ad** **X** Obedientia voto Religiosus ad plura tenetur. Primò, ad Regulæ præcepta. Secundò, ad non agendum contra Regulam, aut mandatum superioris ex contemptu; necut verò, ex contemptu violare, qui contra facit non ex negligentia, & cupiditate, sed quia non vult Regulam, aut superiori esse subiectus. Lessi. l. 2. c. 4. t. dub. 9. n. 74. D. Tho. 2. 2. q. 186. a. 9. Caiet. & Sylu. ibi. Tertiò ad omnia, quæ superior iuxta Regulam aut institutum præcipit. Et quidem si in virtute Sanctæ Obedientiæ imperet, sub mortali debet obedire; si vero hac præcipiendi forma non utatur non videtur velle sub lethali obligare, nisi aliunde constet. Sanch. l. 6. Moral. c. 1. n. 8. Valq. 1. 2. d. 154. c. 4. n. 20. Quod, si superior præcipiat aliqua contra Regulam, non tenetur subditus obtemperare, nisi forte ille possit fortasse in ea parte Regulæ dispensare, & legitima causa contrarium præcipiendi subfit. Caiet. 2. 2. q. 104. a. 5. Quintò si superior præcipiat aliquid supra Regulam ut ire ad infideles, ubi manifestam mortis, vel seruitutis adest, longo tempore ieiunare, à carnibus ad vnum vel duos menses abstinere; haud tenetur inferior obedire, quia superiori potestas datur, ut subditos secundum Regulam perficiat, non ut ad maiora obliget. D. Tho. 2. 2. q. 104. a. 5. ad 3. Nauar. sum. c. 2. n. 39. Mann. to. 2. sum. c. 9. n. 1. Azor. to. 1. l. 3. c. 11. q. 19. Porro licet hæc & similia imponi nequeat ad virtutis exercitamentum, possunt tamen ad alicuius criminis poenam imperari. Vel si pueniunt necessaria ad vota seruanda Sic Monialibus archissima clausura præcipitur, etiam si eam antea non vniuissent.

Item ob aliquam publicam necessitatem quandam austeriora possunt omnibus ad tempus imponi, quia & hoc est Regulæ consentaneum. Corduba in Reg. S. Franc. c. 10. q. 2. Sylu. nest. v. Religio 6. q. 6. Sylu. 2. 2. q. 104. art. 5. Caramin. in Reg. S. Bened. d. 50. & 51.

Scandalo cessante, non tenetur Religiosus obedire, quando superioris præceptum fundatur in falsa præsuppositione: ut si Religioso imponatur poena pro delicto quod vere non patrauit, quando præceptum sit secreto exequenda, subditus ad eam non tenetur; si vero in publico, obligatur ob aliorum exemplum, quia in priori casu poena non imponitur ad aliorum exemplum, sed ad propriam correctionem, quia innocens non indiget. Valq. 1. 2. q. 96. a. 5. d. 174. c. ult. Sanch. l. 6. De cal. c. 2. n. 11.

Si dubiet subditus, num res præcepta sit licita, obedire tenetur, maxime si obediendo, sibi, vel tertiæ personæ magnum damnum in rebus, honore vel fama, aut corpore non timeat. Alias in hisce casibus non tenetur in dubio obedire: Ut si superior interroget de proprio, vel tertij delicto, & est dubium, an iuridice roget: tunc in eam partem inclinandum est, in qua minus damni, & periculi apparet, & ea est amplectenda, ac proinde non obediendum. Tum quia maius est periculum illud imminens, quam semel non obedire. Tum quia in dubio fauendum est reo, & ei, de cuius damno agitur: etsi enim subditus non est in possessione suæ libertatis, est tamen in possessione suæ securitatis, seu iuris, quo possit se rebus periculosis conseruare. Unde non tenetur, in ea se conicere, nisi constet, superiorem iuste præcipere, similiter si Prælati tibi præcipiat longum agere iter aut rem valde difficilem inire, ut longam abstinenciam, vel aliud opus valde austum, & tunc dubites, an possit superior, id tibi imperare, non teneris cum tanto incommodo statim obedire, donec constet tibi de iure præcipiendi, quia tanta rei difficultas vna cum dubio potestatis imperandi, præponderat possessioni superioris, & fauet potius subditi libertati. Medina 1. 2. q. 19. a. 6. dub. 4. Mann. p. 2. sum. c. 9. n. 3. Diana p. 4. tr. 3. resol. 9. Sotus de secreto, memb. 3. q. 2.